



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 13. Altera Bezæ declamatio in Possiacensi colloquio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

„exitu tandem careat: proinde petimus, Sæcul. XVI.
 „ut Rex tam justæ causæ patrocīnium, A.C. 1561.
 „Josixæ, Ochoziæ, & aliorum piorum
 „Principum exemplo suscipiat, ceptam-
 „que in colloquio disputationem, seu
 „collationem continuandi facultatem
 „nobis indulgeat.”

Cum autem Protestantes suo libello amarulenta quædam verba inseruissent, quibus Pontificis auctoritas, & Episcoporum fides perstringebatur, hinc factum est, quod serius responsum sit, ac nonnisi sollicitantibus Valentino, & Sagiensi Episcopis tandem illis data fuerit cum Prælati colloquendi copia: itaque die vigesima quarta Septembris Ministri numero duodecim coram Regina, Navarræ Rege, ejusque Conjuge, aliisque Proceribus sistuntur, moxque in præcipuo Conventus cubiculo privatum instituitur colloquium, cui tamen nec Rex, nec Turnonius Cardinalis intererat.

§. XIII.

Altera Bezae declamatio in Possiacensi colloquio.

Prior sermonem suum exorsus est Beza *Beza l. 4. p. 519.*
 sibi præprimis materiam feligens *Thuan. l. 6.*
 de Ecclesia, cujus naturam, signa, & auctoritatem juxta hæretica sua principia exposuit: verum vix argumentum

M 5

per-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

pertractare ceperat, cum illico loquentem Lotharingius Cardinalis interrumpere, sciscitans, a quonam ad prædicationis ministerium vocatus fuisset? ad hæc vero respondit Beza, se a populo fuisse electum, a civili Magistratu confirmatum, atque a Deo tanquam Ministrum esse missum. Dein Espencæus Doctor ab eo sciscitabatur, a quonam manus impositionem suscepit? ad hoc respondit Beza, quod per aliam viam Ministerium fuisset ingressus: postea continuato sermone Ecclesiam in electorum cœtu consistere, illius vero notas esse agebat verbi divini prædicationem, puram Sacramentorum administrationem, & doctrinæ, ac personarum successionem, quam sæpius interruptam fatebatur: insuper agebat de vocatione ordinaria, atque extraordinaria: differens vero de auctoritate Ecclesiæ fusius circa Concilia excurrebat, quæ interdum errare posse, imo etiam postrema errasse contendit. Denique sermonem ad Sacræ Scripturæ auctoritatem convertebat, examinans, utrum illi Ecclesia sit præferenda, an potius Ecclesia totam suam auctoritatem a Sacris Paginis derivet? quam in rem mox Espencæus hæc subjunxit: „sæpius miratus sum, qua auctoritate Protestantes, & a quo vocati, & instituti ad ministerium

„sterium essent, & cum neminem cita-
 „rent, a quo manus impositionem susce-
 „pissent, quomodo legitimi pastores cen-
 „seri possent.”

Sæcul XVI.
 A.C. 1561.

§. XIV.

*Espencæi Doctoris responsum ad
 Bezam.*

Cum Beza in suo sermone duo voca-
 tionum genera assignaverit, & ha-
 rum unam vocarit ordinariam, alteram
 vero extraordinariam, hinc Espencæus
 addidit: „manifestum est, Protestantes
 „Ministros vocatione ordinaria minime
 „institutos; cum autem ad extraordi-
 „nariam miraculis opus sit, nec ea ipsi
 „edant, necessario sequitur, nec secun-
 „dum ordinem, nec extra ordinem eos
 „in domum Dei ingressos esse: porro
 „quod ad traditiones attinet, si quando
 „de Scripturæ interpretatione exoriatur
 „controversia, nec conveniri possit,
 „procul dubio ad Patres recurrendum
 „est, quibus auctoritas a legitima, &
 „ordinaria successione conciliatur, nam
 „illis, qui legitimæ Ecclesiæ præsent,
 „Spiritus Sancti dona conferuntur, si-
 „cuti de Levitis scriptum est, quorum
 „responso in dubium revocari nefas ha-
 „beatur; insuper multa traditionibus
 „invaluere, & rata sunt, quæ in sacris
 „libris minime perscripta habentur, uti
 Patrem

Thuan. l. c.